



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Bertvlphvs Conf. 5. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

## S. BERTVLPHVS CONF.

5. Februarii.

**D**IVO BERTVLPHO vitam dedit Germania, Gal-  
 lia fidem sanam. Hic & iuventa omnibus or-  
 namenti cultissimus adolescens facile in Comitis  
 Wamberti amicitiam, tum deinde familiam, de-  
 nique filium est cooptatus. Mox cum omnia  
 unus administraret, quod rem familiarem auge-  
 ret, non pauca ijs, qui cum foenore olim redde-  
 rent, miseris dedit. Et profecto quod plura in hos  
 dispensabat foris, hoc amplius domi opes cresce-  
 bant. Neque id Herum Comitem pijssimum late-  
 bat, sed tamen aures hujus obsidebant obtrecta-  
 tores, qui etiam hodie in aulis, quidquid acce-  
 dere pauperibus vident, sibi putant decedere.  
 Et forte foras prodire ad Nummularios suos  
 BERTVLPHVS properabat vino & pane oneratus,  
 cum obuius rogat Herus quid reru gerat? Aquam,  
 ait ille, & ligna; simul (Superis piam fraudem ju-  
 vantibus) pallio revoluto aquam monstrat &  
 ligna. Alio item ostento virtutem BERTVLPHI  
 DEVS prodidit. Romam, quod religionis causa cum  
 conjuge iuerat, reducem Comitem exceperat,  
 ut que sua famulis fatigatis a via quies esset, ipse  
 ad pascua equos egerat, custos id noctis futurus.  
 Verum cum ingentes caelo imbres ruerent, missus  
 qui BERTVLPHVM domum revocaret puer primo,  
 ipse deinde Wambertus evocatus ad miraculum,  
 spectavit mirae magnitudinis aquilam supra ca-  
 put BERTVLPHI pendere, & aquas arcere, pone  
 vero a caelo luculentam facem ministrari; ad  
 quam otiosus ille scilicet librum nescio quem  
 legabat

legebat. Atque ad hoc denique lumen perspicere viri virtutem sese etiam invidia fassa est. Ex *Surio*.

*Præmittamus thesauros nostros in Cælum; sint vectores pauperes, qui possunt sinu suo, quæ nostra sunt, ad superna portare. Nemo de fraude dubitet bajulorū; tuta est ista transvectio, per quam nostra ad Deum, Deo fide jussore, portantur.* S. Pet. Chryl. ser. 7.

## S. GELASIVS CONF. 5. Februarij.

**G**ELASIVM habes, sed unà OPILIVM fratrem pietate ita germanos, ut ex eodem ovo pronatos dicere posses, si non utrumque per nos liceret spectare. Vtrumque igitur Placentia genuit, utrumque extulit, hodieque etiam velut lucidissimum cæli sidus, & morbidis propitium suspicit. Et OPILIVM in cælo lucere quid mirum, quando in cælum inter preces oculo, animo abire, imò cum lucem oculorum mors extinxit, radiare tamen visus est? Iam innocentæ & reliquarum virtutum choro dum vivit, vitæ austeritate velut munimento quodam cavit. Itaque totos dies jejunos agere, cœnamque à matre submissam rogatoribus in ponte præbere, ipse satis sacrarum literarum lectione pastus cælique delitiis ebrîus. Pari passu cum OPILIO GELASIVS incessit, in omnibus fratris cedens præterquam virtutis palæstrâ, nihil invidens quam vitæ sanctimoniam. Sed juvenit nosse, quibus artibus invidiam hanc in oculis GELASII cælum accenderit. OPILIVM solum inter præces agere putabat: sed cubiculum ingressus socios illi assistere innumeros Angelos vidit, mox Christi vocem illam audivit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est regnum cælorum.* Hoc inquam spectaculum, hæc verba animû sauciarunt; hæc